



Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Motvs Propivs S. D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. de veritate
exprimenda &c. in dispensationibus matrimonialibus, & alijs gratijs sub
pœna falsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

modocumque concessas : quarum tenores perinde , ac si de verbo , ad
 verbum presentibus infererentur , haberi volumus pro expressis , teno
 re presentium , reuocamus , & cassas , irritas , & inanes esse decernimus ,
 districtè prohibentes mulieribus quidem prædictas facultates , & licen
 tias prætendentibus , sub excommunicationis latæ sententię pœna , post
 quàm harum literarum notitiam habuerint , à qua non possint , nisi à
 nobis , aut à Romano Pontifice , qui pro tempore fuerit , absolui , præter
 quam in mortis articulo : ne dictas Domos , & Monasteria ingredi au
 deant . Ipsis uerò Monasteriorum , & Conuentuum , Abbatibus , Præpo
 sitis , Prioribus , & alijs Præsidentibus quocumque nomine uocentur , &
 eorum Monachis , Canonicis , & Fratribus , siue mendicantibus , siue nõ
 mendicantibus , sub priuationis officiorum , quę in presentia obtinent :
 & inhabilitatis in posterum ad illa , & alia omnia , & suspensionis à di
 uinis , ipso factò , sine alia declaratione , incurrendis pœnis , ne eas intro
 ducere , admittere uel præsumant : Non obstantibus præmissis , ac consti
 tutionibus , & ordinationibus Apostolicis , ceterisque cõtrarijs quibul
 cumque . Volumus autem , & mandamus , ut hæc literę ad valuas Basili
 cę Beati Petri Apostolorum Principis , & in Cancellaria nostra , atque
 in Acie Campi Floræ de more publicentur . Quia uerò difficile foret
 has literas ad omnia loca deferri , volumus , & declaramus , ut earum
 exemplis , & transumptis manuscriptis , vel impressis , & manu alicuius
 Notarij publici subscriptis , ac sigillo alicuius Pręlati munitis , par ubiq;
 fides habeatur , ac si præsentibus exhibita essent , uel ostensa . Dat. Ro
 mę apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Octo
 bris . M. D. L XVI. Pontificatus Nostri Anno Primo .

Ant. Florebellus Lauellinus.

MOTVS PROPRIVS S. D. N. D. Pij Diuina
 prouidentia Papæ V. de veritate exprimenda &c.
 in dispensationibus matrimonialibus , & alijs
 gratijs sub pœna falsi .



Motu Proprio , &c. Cum sicut accepimus , nonnulli suę
 conscientię prodigi , ac proprię salutis immemores ,
 ut facilius à nobis , & Sede Apostolica dispensationes
 matrimoniales , & alias gratias , & concessiones
 obtineant gradus consanguinitatis vel affinitatis ,
 aut cognationis spiritualis ac scientiam illorum ali
 ter quàm es , à principio ab ipsi s partibus significatum vel narratum
 fuerit

fuerit, & xponunt, & si matrimonia huiusmodi adhuc contracta non fuerint, pro contractis narrant, ac aliàs diuersimodè veram facti speciem, tam in ipsiis dispensationibus matrimonialibus, quam pro alijs quibuscunque gratijs, & concessionibus obtinendis immutent, ac propterea cū non solum in impetrationibus huiusmodi falsitas narretur, verum etiā in partibus plerumque pro verificatione gratiarum huiusmodi veritas immutetur, & falsitas committatur. Nos igitur huiusmodi abusus, & erroribus obuiare cupiētes, Motu proprio &c. omnes, & singulos procuratores, tam officij sacrae pœnitentiariæ, seu contradictarum, quam alios quoscunque Sollicitatores, & Scriptores, quos Copistas vocant, qui veritatem facti à narratione, quam ab ipsiis partibus habuerunt quo ad substantialia, & qualitates necessario exprimendas, diuersam faciunt, seu quoquo modo inuertunt, aut immutant, deprauant, & per subreptionem, & obreptionem gratias à nobis extorquent pœnam falsi incurrere, & ea puniri omnino debere decernimus, & declaramus: Mandantes propterea Almæ vrbis Gubernatori, Camerae Apostolicæ Auditori, & Vicario, quatenus in præmissis reos, & culpabiles repertos, pœna falsi, vt præmittitur, puniant, cum potestate citandi etiam per edictū, constituto summarie de non tuto accessu, aliaque dicendi, & faciendi in præmissis necessaria seu quomodolibet opportuna, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrarijs nequaquam obstant. irritum quoque & inane &c. dicique &c. iudicari & diffiniri debere, sublata &c. decernent. Et quod præsentis motus proprii, & absque data, & registratura sola signatura sufficiat, & vbique fidē faciat in iudicio & extra, regula cōtraria non obstant. eiusque transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque Camerae, & Cancellariæ Apostolicæ, ac audientiæ causarum Palatij Apostolici valuis, & in Acie Capi Floræ dimissis intibi copijs affixis omnes ita afficiant, & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Placet Motu Proprio. M.

Die quinta Decembris 1566. suprascriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis suprascriptis, dimissis in eisdem locis copijs affixis. per me Nicolaum de Matthæis Curf.

Johannes Guerardi Mag. Curf.

B V L L A